





1766.

1.763.

1. Faries, Joachim Georg: De differentiis iuris prudentialium
et politicalium

2. Hackerman, Jo. Gall: De domini transmutatione in
primo Germanico.

3rd Uhlius, Joannes Ludovicus: De iunctibus filio & patre
et dignitatem doctoralem consequentem suppeditatis
non comprehendit 2 exempl.

4. Wittenhagen, Henricus Augustus: Joanni Christiano Kochler
... supremos iure honores ... congratulatus

5. Uhlius, Joannes Ludovicus: Utram gradas academicis liborent
1764. ¹ patria potestate ² disquisitio simulque ad N.W. suum Joanni
Christiani Kochleri ... invitat. 2 Exempl.

1764. Faries, Joachimus Georgius: De jure vindicandi servos
fugitivos

1765. Faries, Joachimus Georgius: Meditationes ad pandectos
justus principes iurius capita ex fontibus philosophicus expli-
cantur.

1765.

2. Steinreuter, Wenzel Barth. Antiphon, 1o : De prescriptione
jure naturali fundata.

3. Wache, Georgius Ristorius : De origine nobilitatis inferis.
2o

1766.

Krnius, Albertus Henricus, ab : De legitima et actione
ad eam supponendam post testamenti subscriptionem
menti quam sublate.

1767.

Taricus, Fridericus Georgius : De jure reali in personis

1768.

Bachmeier, Dr. Samuel Ristorius : De usorio ex mandato
solventio-

1769.

Taricus, Fridericus Georgius : De causis belli pro aliis
suscepti

1772.

1. Causs, Iacobus Laurentius Ludovicus: *De jure tractatus ex Aegypto migrantibus pustre impatis.*
2. Varjes, Joachimus Georgius: *De differentiis practicorum variis atque motu insti.*

1773.

1. Marlianus, Georgius Samuel: *Decantalis Tabularum*
2. Mad. Lin, Georg Samuel: *De vera indole agrorum rectigelianum.*

1774.

1. Daries, Joachimus Georgius: *De iusto termino solutionis, quando in instrumento allegationis solutioni terminus non est profinitus.*

1775.

1. Daries, Joachimus Georgius: *De interpretatione et extensione P. et P. de rescius - vendit.*

17.

2. o und Bergsteiger sind unterwegs
auf dem Rücken zu Fuß auf dem Berg

3. o unterwegs Bergsteiger auf dem Berg
auf dem Rücken zu Fuß auf dem Berg

176

str. und unterwegs Bergsteiger auf dem Berg
auf dem Rücken zu Fuß auf dem Berg

177

o und unterwegs Bergsteiger auf dem Berg
auf dem Rücken zu Fuß auf dem Berg

178

o und unterwegs Bergsteiger auf dem Berg
auf dem Rücken zu Fuß auf dem Berg

179

o und unterwegs Bergsteiger auf dem Berg
auf dem Rücken zu Fuß auf dem Berg

1772. 11. 16
14

DISSERTATIO THEOLOGICO - EXEGETICA
DE
FVRTO ISRAELITIS EX AE-
GYPTO MIGRANTIBVS FRV-
STRA IMPACTO

QVAM
ANNVENTE NVMINE

SVB PRAESIDIO

VENERANDI AC CELEBERRIMI VIRI

IOANNIS ISAACI LUDOVICI CAVSSE

S. S. THEOL. DOCTORIS AC PROFESSORIS PVBL. ORDINARII

REG. ALVMNORVM MAIORIS ET MINORIS POLONIAE

MAGNIQUE DVCATVS LITHVANIAE

EPHORI

DIE X. IVLII MDCCCLXXII.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET
ET DEFENDET

AVCTOR

CHRISTIANVS ANDREAS HERBERGER

LESNA - POLON.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI
ACAD. REG. TYPOGR.

V I R O

MAGNIFICO, PERILLVSTRI ATQVE GE-

NEROSISSIMO DOMINO

D O M I N O

ADAMO DE BRONIKOWSKI

SENIORI GENERALI EQVESTRIS ORDINIS

ECCLESIARVM REFORMATARVM PER

MAIOREM POLONIAM ET PRVS.

SIAM POLONICAM GRA-

VISSIMO

DOMINO HAEREDITARIO IN ORZESZOW

ZYCHLIN, IANOWICE, CRONGOLE

ETC. ETC. ETC.

MAECENATI SVO INDVLGENTISSIMO

OMNI PIETATIS CVLTV

PROSEQVENDO

EXIGVVM HOCCE SPECIMEN

ACADEMICVM

A 2

IN PUBLICVM

DEBITAE OBSERVANTIAE

DOCUMENTVM

CVM VOTO

OMNICENAE PROSPERITATIS PERENNIS-

QVE

ILLVSTRISSIMAE EIVS FAMILIAE

SALVTIS

OFFERT AC CONSECRAT

AVCTOR

CHRISTIANVS ANDREAS HERBERGER.



DISSERTATIO THEOLOGICO·EXEGETICA

DE
FVRTO ISRAELITIS EX AEGYPTO
MIGRANTIBVS FRVSTRA
IMPACTO

AD

EXOD. III. 21. 22. XI. 23. COLL. CVM
CAP. XII. 35-36.



§. I.

Deplorari fatis nequit, hoc præcipue nostro tempore permultos deprehendi audaces ac frivulos veritatum coelestium in S. Codice contentarum obtrectatores, qui omne acumen suum unice in id intendunt, ut Deo T. O. M. et sanctissimo ejus verbo contumeliam atque contemptum excitare, miserosque et incertos homines in partes suas pertrahere possint. Non tantum vias Domini imbecillitati hominum saepenumero imperfscrutabiles impudenter cavillantur homines hi maleferiati, verum etiam præcepta Altissimi



tissimi nunquam non sancta, æqua ac salutaria, creberrime ludibrio exponere satagunt ceu minus dexra et sanæ rationis principiis aperte contraria. Toxicum hocce morale maximam profecto Corporis Christiani partem nunc jam penetrare ac perrepere coepit, ita, ut non pauci hodie reperiantur, qui, non eodem repleti, male de Deo, viis ejus et verbo coelesti sentire, et pios sacrarum paginarum cultores perniciosis suis sophismatibus turbare soleant.

§. II.

Inter alia vafritie ac virulentæ lascivientium Dei obtrectatorum amaritudinis argumenta conspicitur etiam sinistra præcepti divini, quod Exod. cap. III. 21, 22. XI: 2. 3. coll. c. XII. 35. 36. legitur, interpretatio, qua populus israeliticus ad furtum in Aegypto ante abitum suum patrandum excitatus ab ipso Numine dicitur, eo, quod ab Aegyptiis varia pretiosa accipere et cum iisdem emigrale jussus fuerit; ubi temere additur, tale mandatum iurinaturæ et omnibus æquitatis humanæ legibus quam maxime esse contrarium, ac proinde ex eo facile colligi posse qualis, absit blasphemia dicto! Israelitarum Deus fuerit, et quid de ejus ferendi leges ratione sentiendum sit. Ita v.g. auctor libri, cui nomen est: *Le Christianisme dévoilé: Le premier des ordres, qu'il leur donne (de Môse loquitur) de la part de Dieu, fut de voler leurs Maîtres, qu'ils étoient sur le point de quitter. Lorsqu'il les eût ainsi enrichi des dépouilles de l'Egypte* — — —

Notum quoque est inter alias rationes, ob quas Marcionitæ V. T. malo principio a se adscriptum rejiciebant, et hanc fuisse, quod istud præceptum, cui nunc illustrando operam damus, contineat.

§. III.

§. III.

Cuicunque laus et gloria Summi Numinis curæ cor-
dique est, is sine dubio hac et similibus frivolorum pe-
ctorum cavillandi rationibus ac dieteris vehementer af-
fligitur. Posset ne enim, quæso, Deus in æternum san-
ctissimus et justissimus, qui omnem omnino injustitiam et
inique agendi rationem non tantum severe ac fortiter pro-
hibet, verum etiam, teste naturali rationis lumine et re-
velatione, gravi plebit modo, iniquum ejusmodi po-
pulo suo dare consilium, eumque ad injuste agendum per-
movere? Hoc sane possibile non est nec ulla veritatis
historicæ specie exhiberi potest. Nonne Deus aperte sibi
contradicteret (quod absolum eit de Deo cogitare) si ali-
quid juberet, quod non solum secundum revelatum codi-
cem, sed etiam secundum naturæ legem, cuius ipse quo-
que auctor est, et quam omnibus omnium hominum cor-
dibus tam firmiter impressit, fieri nullo plane modo potest?
Certe mens abhorret talia Deo maxime indigna summas-
que ejus perfectiones minime decentia credere vel affirma-
re velle.

Non alcissimi proinde Numinis præceptum incu-
sandum est, quod semper manet innocentissimum, sed ad-
versariorum nostrorum inqua et male sana S. Literas in-
terpretandi et explicandi ratio culpanda est, quæ manda-
tum hocce divinum in sinistram partem sumendo ansam ca-
lumniandi arripit.

§. IV.

Audiamus autem ante omnia ipsam Mosis relatio-
nem, ut hanc questionem eo solidius dijudicare possimus.
Cap. III. 21. 22. ita loquitur Deus ad Mosen servum suum:

red-

reddam vero gratiosum populum illum in oculis Aegyptiorum; sic fiet, quum abibitis, ut non abeat is vacui. Peter enim una- quæque a vicina sua et ab hospita domus suæ instrumenta ar- genteæ, et instrumenta aurea et vestimenta, quæ imponentes filiis vestris et filiabus vestris spoliabitis Aegyptum; seu po- tius: tuto exibitis ex Aegypto vel ab Aegyptiis. Cap. XI. 2. ita loquitur Deus: loquere nunc audiente hoc populo, ut pe- tant quisque ab amico suo et quæque ab amica sua instrumen- ta argentea et instrumenta aurea. Tandem cap. XII. 35. 36. narratur: filios Israelis fecisse secundum editum Moysi petiisse enim ab Aegyptiis instrumenta argentea et aurea, et vester, et Deum reddidisse gratiosum populum hunc ante oculos Aegyptiorum, adeo ut dederint iis potentibus, et ita spo- liaverint Aegyptios; seu potius: tuto exiverint ab Aegy- ptiis.

§. V.

Præcipua, ut par est, piorum S. codicis interpre- tum cura hic quam maxime versatur in purgando a crimine furti Israele, ne videatur justissimum Numen populo suo aliquid præcepisse, quod iuri naturali et revelationi con- trarium sit nobisque offendiculo esse possit. Sunt, qui hoc mandatum ex eo defendere conantur, quod, teste Aristotele Iuris consulto, apud Gellium nost. attic. lib. XI. cap. XVIII. fulta apud veteres Aegyptios fuerint licita et imponita. Ast sicutne nobis videtur haec ratio. Atq[ue] enim illicita erroneo ac vitioso aliorum exemplo legiti- ma fieri nequit. Alii, præente Iosepho, putant, He- bræos res Aegyptiorum non invitis Dominis, sed ipsis consentientibus abstulisse, supponentes, eas Israelitis do- no fuisse datas, vel benevolentia vel metu. Augusti- nus lib. XXII. contra Faustum cap. LXI. existimat: Dii manda-

* * *

mandatum hanc Israëlitarum actionem legitimam reddidisse:
quod faciendo Mōses, inquit, usque adeo non peccavit, ut
non faciendo peccaret. Deus enim iussérat, qui utique novit
non solum secundum facta, verum etiam secundum cor homi-
nis, quid uniusquisque vel per quem perpetri debeat. Carna-
lis itaque adhuc ille populus erat, et rerum terrenarum cu-
piditate occupatus, Aegyptii vero sacrilegi et iniqui; nam
et auro illo, hoc est, Dei creatura male utentes, ad Creato-
ris injuriam suis idolis serviebant: et homines peregrinos lō-
bore gratuito injuste ac vehementer adflixerant etc.

Hæc verba abunde indicant, Augustini mentem non
esse, Deum Israëlitis præcepisse rem injustam, sed potius
hanc actionem justam fuisse, nullamque læsionem Aegy-
ptiorum illicitam involvisse.

Pari modu auctor libri Sapientiæ cap. X. 17. Ire-
næus advers. Hæres. lib. IV. cap. XLIX., Tertullianus
quaestione XXIII. in Exodum, Epiph. in Ancor. n. 12. 13.
et Hær. 66. n. 71. et Philo in Vita Mōsis lib. I. huic man-
dato præsidium quærunt. Nemo Clemente Alexandrino
breuius et solidius has complexus estrationes: Non, inquit
Strom. I. (hoc factum est) propter avaritiam, ut di-
cunt accusatores; neque enim Deus eis aliena persuasit con-
cupiscere; sed primum quidem earum, quas omni tempore
Aegyptiis præbuerunt, operarum ac servitiorum necessariam
mercedem referentes; deinde etiam se quodammodo ulti sunt,
Aegyptiis ut avaris par pari referentes prædæ exportatio-
ne, sicut illi Hebræis prius molestiam attulerant, redigen-
do eos in servitutem. Sive ergo ut in bello quis hoc factum
esse dixerit: res hostium piatoriae jure afferre volebant, ut
potentiores inferiorum; belli autem justa erat cauſa. Sup-
plies propter famem Hebræi venerunt ad Aegyptios: illi au-

B

tem



tem hospites redactos in servitutem, in star mancipiorum servire coegerunt, ne mercedem quidem eis solventes. Sive ut in pace: mercedem prædam ab invitis acceperunt, qui longo tempore non solvebant, sed ipsis ea privabant.

§. VI.

Sed missis his rationibus, progredior ad eam enucleationem, quæ in mixtis dissertationibus et iudicis VIII. partibus in 8vo Berolini ante paucos annos germanice in lucem emisis, Tom. II. parte VI. pag. 372. prostat, et me quidem judice lectoris attentione digna est, siquidem nos docet, populum israeliticum omnia ea, quæ jussu Dei ab Aegyptiis mutuo accepit, non dolo aliquo nec clamoribus accepisse; verum coram iudicio, jure civili, pro opignoratione domuum, hortorum, pratorum, agrorumque suorum mutuo impetrasse; Aegyptios autem in terra Gosen Israelitas inter habitantes id eo lubentius fecisse.

I. Quoniam certissime sciebant, res oppignoratas multo præstantiores esse rebus suis mutuo datis populo israelitico, ac proinde nullum sibi ex actione hacce forensi emergere posse damnum.

II. Quoniam optime cognosebant, se ex societate Israelitarum, quos inter degebant, magnum semper cepisse fructum in terra Gosen, eo, quod nullis, quæ reliquos Aegyptios extra Gosenem habitantes oppreserant, plagiis * unquam tacti fuerint, atque ita omnia sua una cum integra corporis sui sanitate conservaverint.

Hanc itaque ob rationem nullo modo dici posse, Aegyptios ab Israelitis fuisse deceptos aut fraude circumventos, quinimo Aegyptios magnum ex abitu Israelitarum infrequente

* Quod ad hoc Ven. Autoris argumentum attinet, observo, quæstionem oriri, num id tuto comprobari possit? Nam defectus plagarum tantum ad Israelitas restringitur, ut patet ex cap. IX. 4. 6.

sequente tempore hausisse commodum, eo, quod omnia ab Israeli tis abeuntibns derelicta in eorum devenerint potestatem, et eo ipso Aegyptii ditiones redditii fuerint quam antehac fuerant. Quam ob rem nullum esse dubium, quin Aegyptii Israelitarum (ut loqui solemus) creditores, subitanum Israelitarumabitum duplici modo urserint, nec aliquid ab illis reposcere voluerint, ut modo omnibus relictis Bonis eorum immobilibus, per duo et quod excurrit secula strenue cultis, integre frui possent. Magnam tamen hoc non obstante Aegyptios terræ Gosenæ Israëlitisabiturientibus exhibuisse gratiam seu benevolentiam, eo, quod talia ipsis dederint, quæ secum asportare et in itinere suo per deserta optime adhibere et in usus suos convertere poterant, quibus si destituti fuissent, magnum in diversis rebus necessariis defectum passi fuissent, coacti omnia sua bona immobilia Aegyptii relinquere et nihil prorsus sibi porrigentibus vel mutuo dantibus. Hinc et Aegyptii mutuo dantes, et Israelitæ mutuo accipientes varia sibi necessaria, ex transactio[n]e hacc foren[s]i, utilitatem ingentem ceperunt, nec Aegyptii Israëlitis furtum aliquod vel dolum exprobrasse leguntur. *

Quibus omnibus eleganter deductis, adne[ct]it CI.
Auctor non injundam meditationem suam dupl[icem]:
I) quod vasa aurea et vasa argentea ex intentione Omni-

B 2

scii

26. X. 23. non ad Aegyptios aliquos refertur, quod tamen, mensalit[er] judice, si res ita fese habuisset, Moses silentio non præteriisset,

* Traditus de Aegyptiis Iudeos apud Alexandrum furti accusantibus, cuius Gemara Babyl. mentionem facit et ad quam Tertullianus c. Marcion, lib. II. c. 20, respicere videtur, neque certa, neque opposita est huic assertioni, in qua de Aegyptiis temporis quo res peracta est, coetaneis loquor.



scii ab Aegyptiis mutuo acceperint Israelitæ, ut cultui Dei publico in deserto instituendo prodesse possent. 2) Quod vestimenta varia sumferint, ut sibi et liberis suis in deserto prodeffent, siquidem verosimile non sit, vestes Israelitarum (ut Iudæi credunt) per 40. annos constanter durasse; ex mutuo acceptis vero Aegyptiorum vestibus resarcire nunquam non potuisse defectum suorum in Aegypto comparatorium vestimentorum. Hæc omnia pulchre, ut solet, Ven. Author deducit exornatque.

§. VII.

Sincere fateor, me ex lectione enucleationis hujus exegeticæ magnam profecto cepisse voluptatem, quam et cum amicis quibusdam citra moram communicavi, ut et illos ea recrearem. Nemo non novam hanc interpretandi viam collaudavit. Dum autem hæc omnia legi, relegi, relegendoque ulterius indagavi, objecit se mihi unum alterumque dubium paucis hic manifestandum.

§. VIII.

Si scilicet memorata contextus nostri enucleatio, sane jucunda, tam immota staret, ut putat Ven. Author, quare quæsto

1) diceretur, Dominum Israelitis Aegyptiorum gratiam conciliaffe? Ex hypothesi allata citra Altissimi opem vorticordem lucri cupido et grati animi consuetudo abituenti Israeli favorem Aegyptiorum conciliaffet.

2.) Quare præterea adfirmaretur, unamquamque feminam israeliticam a feminis vicinis Aegyptiacis expeditiæ vasa et vestimenta? Ex memorata hypothesi transactio forentis quam maxime a Maribus israeliticis cum Maribus Aegyptiacis peragi debuisset, utpote qui in omnibus ubique gentibus res publice transfigendas fuscipere soleant.

3:) Imo

3.) Imo nec hoc modo, si res cum maribus trans-
sta fuisset, ut forte quis ex cap. XI. 2. ubi masculorum et
feminarum sit mentio, monstrare posset, res ex allata Ven.
Auctoris sententia bene successisse dici posset, quia cap.
XI. afferitur, rem hancce in ipso ferme abitus Israelita-
rum articulo peractam fuisse atque ita coram judicio solen-
ni transfigi vix ac ne vix quidem potuisset, perturbatis haud
dubie ob crebras plagas et Aegyptiis et Israelitis.

4.) Vox נָצַלְתָם nonnullis quoque circa allatam
hypothesin dubium movere posset, siquidem ex ea con-
stare videatur, res ablatas ab Israelitis Agyptios pauperio-
res, non ditiones, ut hypothesis vult, reddidisse. Verosimi-
le præterea non est, Iudices a Pharaone constitutos talem
transactionem solemnem permisisse.

§. IX.

Meo sensu Israel abituriens et memorata vasa cum
vestimentis ab Aegyptiis mutuo accipiens, haudquaquam
furti argui potest, tametsi nulla præcesserit transactio pu-
blica judicialis seu forensis, quæ ob temporis angustias vix
institui potuit, nec a feminis, ut hic tamen rotunde nar-
ratur, sed a maribus solis, fieri debuisset. Non injucunde
quidem, sed tamen ex ingenio tantum et absque omni fa-
cilitate literarum auctoritate seu testimonio negotium hoc-
ce forense huc attulit. Deus pro vorticordi gratia sua,
quæ cap. III. v. 21. omnino innuitar, peculiarem Aegy-
ptiis erga Israelitas indiderat favorem, ut feminæ Israe-
lis et postea etiam nonnulli mares (qui juxta cap. XI. v. 2.
ob festinationem accelerandam feminis succurrebant) eo
cicu et certius impetrarent, quod privatim (ut litera hi-
storiæ simpliciter indicare videtur) per amicabilem (ut vero



simile est) transactionem * postulare a vicinis suis a Deo per Mosen iussi fuerant. Postulata vasa et vestimenta citra tergiversationem a matronis ægyptiacis petentibus matronis israeliticis porrigebantur insciis forte maribus, ut non nunquam fit. Mares dehinc videntes favorem Aegyptiorum haud dubie etiam a maribus ægyptiacis similia petentes, pari facilitate excipiebantur. Verosimiliter pretiosa illa hoc modo mutuo data sunt Israelitis, ut illi Deo suo majori cum pompa et splendore servirent, indulgente tandem Pharaone. Vide cap. XII. 24. Ubi postrema plaga intensissima, quoad primogenitos interemtos, Aegyptio, supervenit, Israel fortiter expellebatur, haudquam jussus, ut mutuo accepta relinqueret. Terror maximus Aegyptios occupaverat, ne toti delerentur, atque ita libere excesserunt Aegypto Israelitæ partim ob terrorrem percusorum Aegyptiorum, partim ob favorem creditorum suorum Deo conciliatum; creditores vero nulli dubitabant, quin bona immobilia abiturrentium haud dubie essent accepturi pro vasis et vestimentis suis Israelitis concessis et relictis, si isti non redirent. Hinc de furto ullo nulla ullibi sit mentio, nec tale veri nominis hic commissum a modesto et æquo lectori dici potest.

§. X.

Præcipua, ni fallor, causa quæ hic multis historiæ hujus Leitoribus suspicionem furti ingessit, videtur mihi esse error aliquis exegeticus circa vocem פִּיהֵל, quam communiter per: et spoliabitis: vertunt affirmantes hic 1 conversivum et præteritum in Pihhel occurrere, quod spoliationis vim in se contineat, ab inusitato לְבָנָן. Author supra

* Si quis et hanc inficietur, non multum ei adversabimur, perspicue enim illa monstrari nequit.

supra memoratus affirms, nunquam in Sacro Codice hanc
vocem de injusta spoliatione sumi, quod ex locis Gen. XXXI.
9. et 2 Chron. XX. 25. patere credit; Mosen igitur hac
voce id innuere voluisse: *Vos Israelitae non cogemini redi-
dere ab Aegyptiis mutuo accepta, et quasi, non revera, spoli-
abitis ea.* Meo sensu non forma *Pihel*, sed *Niphah* pas-
sivum cum *Vav* conversivo præteriti hic admittatur ne-
cessè est, et convertatur: *et liberabimini ab Aegyptiis:* id
est, ego id vi mea efficiam, ut libere evadere et tuto excede-
re Aegypto possitis. Tantum terrorem postrema plagam meam
Aegyptiis incutiam, ut perculsi vehementissime omnia sua
vobis mutuo data libenter oblivioni sint tradituri et unice
hoc anhelatur, ne toti cum integra prosapia sua intereant,
atque ita vos, me auctore et conciliatore, immunes ac libe-
ri evaderis et nunquam amplius ab Aegyptiorum crudeli-
tate vexabismini.

§. XI.

Sic itaque nec vox hæc **רְצִבָּה** nec verus rei si-
tus Israëlitæ furti arguere amplius poterit. Non vox hæc-
ce, quia juxta expositionem modo adductam nullam spo-
liationem in sinu suo fovet, sed potius *evasionem* seu *libe-
rationem* indicat; nec verus rei situs, nam citra paustum fo-
rense amicabilis transactio privata instituta fuisse videtur,
vi cuius bona Israëlitarum immobilia derelicta nulli nisi li-
beralibus Israëlitarum amicis ægyptiacis concedi poterant,
qui que haud dubie ex amicibili hacce transactione, scripto
aliquo forte roborata sive testibus præsentibus firmata,
permagnam cuperunt * utilitatem, atque ita abundanter
vasorum et vestimentorum habuerunt pretium.

Nec

* An debitor patria sua fortí manu expulsus et creditori suo plus
aere suo alieno relinquens furis cognomine insigniri potest?

Nec obest nobis constructio hebraea dicti verbi cum
אֲהַזְרִים, siquidem ea non semper *Accusativum* præ-
vii verbi activi in finu suo gerit, verum etiam haud raro
significationem præpositionis *a* vel *ex* in se continet: *ex*
Aegypto vel *ab Aegyptiis*: ut ex quovis Lexicographo pa-
tet, atque ita exitus contextus nostri biblici talis erit: non
clanculum, non teste, sed aperte coram omnibus inspicien-
tibus impónentis vasa et vestimenta ab Aegyptiis accepta
filiis et filiabus vestris, et, nemine vos impediente, libere
emigrabitis *ex Aegypto*, et a jugo vobis et Majoribus ve-
tris ultra duo Secula imposito simul liberabimini.

§. XII.

Quis ex hisce miram Dei providentiam et perma-
gnam ejusdem bonitatem non perspicit? Cum lateres ob
crudelitatem Aegyptiorum duplicarentur, veniebat Moses
et prædicebat fratribus suis instantem laborum intolerabi-
lum finem. Cum Pharaō fortiter mancipia sua israelitica
retinere vellet, multis et diris plagiis a proposito suo atro-
ci avellebatur. Cum Israelitae satis diu vexati ac pressi, va-
cuis manibus sine ulla exantlatorum laborum suorum mer-
cede Aegyprum deserere juberentur ab injustissimo Regum,
proprii subditii eius ægyptii sponte ipsis ex bonis suis mul-
ta necessaria et pretiosa suppeditare permoverebantur, ut
Israel ultra ducentos annos tristitia in Aegypto affectus, tan-
dem ex Aegypto latus emigrare et molestias perpesas
oblivioni dare posset. Sic omnis bona causa tandem tri-
umphat, et post multa nubila jucundus conspicitur
Phoebus.

ULB Halle
004 393 171

3



f TA → d
nun HT 10 Stück verknüpft.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

Farbkarte #13



DISSESSATIO THEOLOGICO-EXEGETICA

DE

FVRTO ISRAELITIS EX AE- GYPTO MIGRANTIBVS FRV- STRA IMPACTO

1772. 11. 16
14

QVAM

ANNVENTE NVMINE

SVB PRAESIDIO

VENERANDI AC CELEBERRIMI VIRI

IOANNIS ISAACI LUDOVICI CAVSSE

S. S. THEOL. DOCTORIS AC PROFESSORIS PVBL. ORDINARII

REG. ALVMNORVM MAIORIS ET MINORIS POLONIAE

MAGNIQVE DVCATVS LITHVANIAE

EPHORI

DIE X. IVLII MDCCCLXXII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICET

ET DEFENDET

AVCTOR

CHRISTIANVS ANDREAS HERBERGER

LESNA - POLON.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM
WYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI
ACAD. REG. TYPOGR.

ZVHALLE